

In illo témpore: Dixit Iesus discípuis suis:

- ¹ «**N**on turbétur cor vestrum.
Créditis in Deum
et in me crédite.
- ² In domo Patris mei mansiónes multæ sunt;
si quo minus,
dixíssem vobis quia vado paráre vobis locum?
- ³ Et si abíero et præparávero vobis locum,
íterum vénio et accípiam vos ad meípsum,
ut, ubi sum ego, et vos sitis.
- ⁴ Et quo ego vado, scitis viam».
- ⁵ Dicit ei Thomas:
«Dómine, nescímus quo vadis;
quómo do póssumus viam scire?».
- ⁶ Dicit ei Iesus:
«Ego sum via et véritas et vita;
nemo venit ad Patrem
nisi per me.
- ⁷ Si cognovístis me,
et Patrem meum útique cognoscétis;
et ámodo cognóscitis eum et vidístis eum».
- ⁸ Dicit ei Philíppus:
«Dómine, osténde nobis Patrem, et súfficit nobis».
- ⁹ Dicit ei Iesus:
«Tanto témpore vobíscum sum,
et non cognovísti me, Philíppe?
Qui vidit me, vidit Patrem.
Quómo do tu dicis: “Osténde nobis Patrem”?
- ¹⁰ Non credis quia ego in Patre, et Pater in me est?
Verba, quæ ego loquor vobis, a meípso non loquor;

Pater autem in me manens facit ópera sua.

¹¹ Crédite mihi quia ego in Patre, et Pater in me est; alióquin propter ópera ipsa créдите.

¹² Amen, amen dico vobis:

Qui credit in me, ópera, quæ ego fácio et ipse fáciét et maióra horum fáciét, quia ego ad Patrem vado».

Verbum Dómini.